



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXVII. Dei parens, & D. Hyppolitus maledicum qui rescipuerat,
sanat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

MIRAC. VIRG. XXXVII.

Dei parens, & D. Hyppolitus maledicum qui rescipuerat, sanat.

Festo D. Magdalene die, rusticus, cui nomen erat Petrus, iunctis aratro bobus coeprum iugerum detestabatur. Eius execratio pondus celerius habuit, quam ipse optarat. Nam cum maxima clade de coelo tacti boves prostrati fuerunt, ipso eodem tempore fulmine grauius afflato, quem ita ignis attigerat, ut iam misero crura poene absumpta essent. Eam ob rem suos rogauit, ut se in templum D. Magdalene perferrent, cuius festo diei parum honoris habuerat, rustico operi incumbens. Vbi in illo templo paululum moratus est, penitus ignis ille, qui corpus exedere pergebat, fuit extinctus. At nondum crurum uires erant receptae. Quamobrem audiens quoddam sanum Virginis multorum miraculorum indicijs celeberrimum esse: eius uisendi desiderio accensus est. Fortè nauis uectus, in puppi sedes, cum crura extendere, alterum disiectum uno aspectu concidit. Quod ipse patienter tulit, & aequo animo passus est. Postridie eius diei ubi ad illud templum uentum est, Virginem una cum D. Hyppolito, cuius ipse erat obseruantissimus, uidere uisus est. ardentissimis precibus intercessor à Virgine contendebat, ut uillico crus amissum restitueret, ossa D. Hyppolito colligente, & crure iterum coniuncto, ille firmis poplitibus incessit.

MIRAC.